Literæ Dni Danielis Greseri ad Selneccerum

S. P. D. Latere te non arbitror ad 8. Octobris conventum omnium huius ditionis ab Electore nostro illustriss: institutum esse. Witebergensibus et Lipsensibus mandatum est, ut omnes, nemine excepto, Dresdam veniant, et de re sacramentaria iam sententiæ suæ confessionem edant, cui oes Superintendentes subscribere non graventur, quam Elector ab eis tandem exigit, ut sit bene Lutherana, nam hisce verbis usus est Elector. Vellem te adesse huic conventui, ut controversia inter te et Vitebergenses consopiatur. Cum nuper ad descripsi de indignatione principis Electoris, quam adversus Vitebergenses, propter editos libros, qui Cingliamismum olent, non immerito concepisse dicitur et quod 2000. florenorum emptum vellet non editos esse libros, et quod dixerit, sibi facile persuaderi posse, ut nebulones illos ~~om~~ omnes ad Diabolum profligaret. Verissima sunt, quæ Doctor Johannes Ræuius et aulicus concionator Philippus cum alijs pro certo mihi retulerunt. Catechismus quoniam Peucerus in Portam (: Zur Pforten :) prælegendum miserat, iam suppressus est, et præceptoribus, ne ulterius [illegible] prælegant, mandatum est. Jam Peucerus Pilatum agit, et manus lavat, quod testatur se nihil habere commertij cum ipsis libris. Dicit .n. se non esse Theologum, sed medicum. Cum tamen antea omnem moveret lapidem cum Christiano, ut omnib. scolis mandaretur prælegere catechismum illum.

Sed nunc utrisque succenset Elector, et Chri-
stianus quidem acriter ab Electore repre-
hensus est, sed magis ab Electrice, quae collo-
quium petentem eum repulit. Craconius
qui haud obscure Viteberg. partes iuvar
iussus est, iam mussat, et ne Electori
suspectus sit, sententiae suae confessionem
scriptam Philippo Wagnero exhibuit, de
qua Philippus testatur, eam reprehendi
non posse sed haud non pridem eam ce-
cinit cantilenam. Stosselius callide Vite-
bergensium scripta bonam in partem inter-
pretatus esse d[ici]tur, nondum enim sciuit ea
non placere Electori [illegible]
Pono cum Peucero in scriptis tuis succense-
uideare, latere te non volo, ipsum non
scripsisse quae putas, sed esto Musa. Vide-
brandus, qui charybdim ~~[illegible]~~ vitare voluit
in periculosiss: Scyllam incidit, cui per
omnia non arbitror placere destinata
suorum collegarum. Jam omisso Evangelio
Dominicali Lutheri Catechismum Domini-
cis diebus concionatur, quod ab re bono fi-
eri consilio iudicatur. Videtur enim ipsorum
Vitebergensium Catechismo Lutheranam Ca-
techesin opponere velle, id quod et faciunt
caeteri, Unde et Pecaelius dixit, quid opus
est Pastorem nostrum tantopere dicere de
re Sacramenta, et tractare causam mate-
rialem, De usu et causa finali atque fructu
Eucharistiae potius dicere debebat. Ideo
callide eum a consilijs suis Theologias

amovere conatur, praetendens, enim alias
plus satis habere laborum et molestiae, et cura-
rum Parochiae atque Superintendentiae. Sed
ego per Philipp. Wagnerum operam dabo apud
Electorem, ne ipsum excludat. Quod ad
Catechismum recens editum attinet, Philip-
pus Wagnerus, quem Elector bis ad Wite-
bergenses illius ergo misit, retulit mihi
paucos, qui eum sint defensuri, atque ita
fortassis faba in solum cudetur Peccelium.
Rebus autem (Deo gratias) sic stantibus non est
quod timeas te (ut humano utor verbo) apud
Electorem esse in Disgratia. Gratum est
Electori, quod non desint, qui veritati patro-
cinentur. Ego si Witebergenses hospites
cibare aut pascere mandatum haberem, ta-
lia nucum et ovorum putamina edenda
proponerem, qui vacua et inania nobis
Sacramenta obtrudere conantur.
Vale. Dresdae 3. Octobris Anno 71.